EPISTOLA
PASTORALIS
AD
CLERUM ET POPULUM
AGRIGENTINAE DIOECESIS



ROMAE
EX TIPOGRAPHEO J. B. ZAMPI ET C.
MDCCCXLIV

Digitized by Google

Digitized by Google

DOMINICUS MARIA LO JACONO

CLERICORUM REGULARIUM PRAEPOSITUS GENERALIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS AGRIGENTINUS



VENERABILIBUS FRATRIBUS CANONICIS, CLERO ET POPULO AGRIGENTINO

SALUTEM IN DOMINO ET BENEDICTIONEM

Cum primum nuncii de nostri ad Agrigentinam sedem nominatione ad nos pervenerunt, quanta animi commotione affecti fuerimus, neminém intelligere posse arbitramur. Licet enim non inopinato illud acciderit, cum pluribus abhinc annis non obscure praenunciaretur; tamen Episcopatus dignitati honorem habentes ab eo nos longissime distantes esse putavimus prae meritorum inopia, et pro nostra tenuitate illud onus sperabamus fore ut Deus a nobis removeret. At cum litterae nobis traditae sunt, quibus significabatur Augustum atque amantissimum Regem nostrum FERDINANDUM II. mentem suam aperuisse ac SSmo. D. N. GREGORIO XVI. nos tandem in Episcopum praesentasse, toto corpore contremiscere visi sumus.

Digitized by Google

Dolebamus enim ac vehementer angebamur primum, Urbem, cujus non tam antiquitatis, et artium monumenta nos tenent quam religionis; non tam civinm, et clarissimorum virorum benevolentia, quam Sedis Apostolicae dignitas, cui non modo animo, ut a primis annis, sed etiam corpore, ut a pluribus, conjuncti sumus, nobis esse relinquendam. Nec minori afficiebamur tristitia, quod a Clericorum Regularium Congregatione, clericisque regularibus, quos mutuis animis diligere solebamus, divelli, necesse foret. Ast illud potissimum oculis versabatur; quod cnm durum espectandum sit judicium iis, qui praesunt, animae nostrae dispendium in Episcopatu gerendo facilius timeri debeat: *Quid vero prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur*? Quibus omnibus adeo animus noster commovebatur, ut lacrymas continere non potuerimus. Quapropter statim de eo recusando cogitavimus, pluraque experti sumus; at frustra; nam primum sine mora Summus Pontifex sacramento nos solvit, quo de dignitatibus non ambiendis nec acceptandis tenebamur; et Regem ceteroquin nostri, Congregationisque Theatinae amantissimum in proposito firmum esse cognovimus. Ergo cum perspecta nobis esset utriusque voluntas, et qua voce, qua scriptis proferta ita, ut oleum et operam nos perdere nuntiatum fuerit, acquiescendum esse statuimus, et penitus acquievimus. Tum Davidem Regem imitandum esse arbi-

tramur, qui cum Filius a Bethsabea habitus usque ad mortem infirmaretur, in cinere, et jejunio atque in lacrymas effusus a Deo vitam et sanitatem ejus diu noctuque precabatur: at cum illum mortuum esse intellexerit, *Statim surrexit, lotus unctusque cum mutasset vestem ingressus est domum Domini, adoravit, et venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, et comedit.* Eodem fere modo nos ipsi surreximus, domum Domini intravimus, adoravimus, et ad currendam viam arduam quidem et periculis plenam egredimur, licet non ut gigas egreditur, neque a summo, sed ab humili statu egressionem nostram esse fateamur; speramus autem fore ut, *Qui infirma mundi eligit .... et ignobilia mundi et contemptibilia .... ut non glorietur in conspectu ejus omnis caro .... cognoscat nos in benedictionibus suis, nobisque misericordiam suam conservet, ut inveniamus gratiam in oculis ejus.*

Haec autem eo confidentius speramus, quo clariora videntur esse Divinae voluntatis indicia, ut nos ad perinsignem Agrigentinam Cathedram promoveremur. Nostis enim, Venerabiles Fratres, et Filii in Domino carissimi, nos in eadem Dioecesi natos, in ejusdem episcopali seminario ad plures annos institutos fuisse, in quo litteris scientiisque, Deo favente, adeo profecimus, ut primos scholarum gradus conscendere datum fuerit, et omnium benevolentiam comparare, praesertim illustris istius sedis Episcopi antecessoris

nostri Xaverii Granata, qui nostrae Congregationis Clericorum Regularium, et Messanensis Civitatis maximum ornamentum fuit, quique in omnium memoria vivit, et fortassis nulla unquam ejus doctrinam, sapientiam, et dignitatem delebit oblivio. * Nam de clarissimo viro Josepho Nicolao Ugo, qui noster fuerat in Philosophicis disciplinis Praeceptor, nihil attinet dicere: ipse, etiam dum Archiepiscopatus Surrentinae Ecclesiae fulgeret honore, ad extremum usque suae vitae finem singulari erga nos tenebatur amore, et per duos ante obitum menses gravissima infirmitate detentus, de nostra ad Agrigentinam sedem evectione veluti praescius, plura nobis sapientiae plena consilia suppeditavit. . . . .

Cum adhuc Theologicis studiis vacaremus, ad religiosam vitam singulari quodam modo vocati sumus adeo, ut non mediocrem admirationem in eorum animis excitatam noverimus, qui spem quamdam amitti putabant, tandem aliquando nos ad nobiliora munia obeunda promoveri posse in ea dioecesi vel civitate, in qua non modo nati, sed facti sumus: nos vero, fatemur enim, laeto et alacri animo in domo Dei habitare elegimus, ut facilius, et securius vineam Domini excolere possemus. Nec nostra nos fefellit opinio; nam Panormi primum, deinde etiam pluribus aliis Siciliae

(*) Ex Clericis Regularibus fuerat etiam Episcopus Agrigentinus Antonius Lanza Panormitanus, qui pluribus etiam emicuit virtutibus.

Digitized by Google

civitatibus qua sacris concionibus, qua spiritualibus exercitiis, qua scientiis praesertim sacris tradendis, vel sacris litteris explanandis maxima animi nostri voluptate totis viribus intenti fuimus, neque laboribus parcentes, neque locorum varietatem aversantes; nec contradictionibus, quae numquam deesse solent, fracti sumus; quod si aliquando cessimus, id totum fuit, ut Fratrum bono, et nostrae tranquillitati penitus consuleremus. Interim, ut modo novimus, investigabilibus Dei viis ad superiora ducebamur.

Nam Romam, quae semper erat in votis, Divino quodam consilio accersiti fuimus, ubi statim verbo Dei praedicando, Confessionibus Fidelium audiendis operam dare, atque scientiis docere jussi sumus; quo factum est ut brevi ad Clerum Romanum probandum a SMO. D. N. GREGORIO XVI. et Sacrae Indicis Congregationis Consultationibus destinaremur; deinde etiam S. Congregationis super negotiis Episcoporum, et Regularium; et tandem inter Apostolicos eligendorum Episcoporum Examinatores in sacra Theologia fuimus cooptati. Quae omnia praestabamus dum Congregationis Clericorum Regularium Procuratoris Generalis munere fungeremur; et postquam Panormitanae Domus S. Josephi praeposituram recusaverimus, hanc Romanam S. Andraeae Apostoli sub Generali Praeposito, ut moris est, regeremus. Procuratoris Generalis et Consultoris Officium exercuimus donec anno 1842. suffragantibus omni-

bus, quibus jus erat eligendi, Praepositus Generalis renunciati sumus. Hoc pacto a civitate, et Dioecesi Agrigentina longe recedere videbamur; ast, ut probat exitus, ad ipsam Divino consilio proprius accedebamus. Nam, *Non viae meae viae vestrae, neque cogitationes meae cogitationes vestrae, dicit Dominus.*

Et re quidem vera: vix Praedecessor noster istius sedis Antistes supremum diem obiit, rumor tenuis primum, deinde paulatim succrescens per hominum ora ferebatur, nos ad illam destinari, qui tandem incredibili celeritate, et constantia fere omnia tum utriusque Siciliae, tum Ecclesiastici status loca pervasit. Nos autem, quem rumor iste non latebat, Deo abundantius opitulante nihil de Congregationis nostrae officiorum curis, nihil de Romanae totiusque Ecclesiae remisimus, quominus ea, quae nobis agenda erant, majori, qua potuimus diligentia perficeremus; Episcopatum enim tamquam a nobis poenitus alienum procul spectabamus. Sed tandem Dei consilia nobis ceterisque patefacta sunt per voluntatem eorum, quibus obsequentissimos nos esse convenit, tum ob eminentissimam auctoritatem, tum ob innumera, quae nobis gratis, eaque praeclarissima beneficia concesserunt.

Illud tamen in tanto onere suscipiendo nos reficit ac recreat, quod in ista antiquissima sede constitutis nobis vel opere, vel consilio praesto erunt viri ingenio, doctrina,

ac pietate conspicui. Nam plures ex vobis, Cathedralis Ecclesiae Canonici, jam novimus, ceteros ex aliis discimus: et licet Capitulum dimidiatum inveniemus, et clarissimis viris orbatum, speramus tamen fore, ut, Deo illustrante et penitus, quorum interest, dirigente, vobis simillimi ad illud complendum assumantur; ut in domo Dei luceant, et aliorum mores dirigant, exemploque componant. Idem de ceteris, qui collegiatis Ecclesiis totius Dioecesis Canonici inserviunt; sperare licet, et Beneficialibus, vel Secundariis, praesertim Cathedralis, ac Sacerdotibus omnibus, quos tum in Choro devotos, tum in viis modestos, tum domi pios, tum ubique Dei gloriae, Fideliumque salutis pro viribus et mensura spiritus studiosos vel esse confidimus, vel memores vocationis suae ut sint, hortamur, suademus, rogamus. Hoc autem in primis omni, qua possumus, animi contentione cupimus, et si, opus est, auctores esse volumus, ut omnes inter vos, et nobiscum idem sapiatis, alterutrum diligatis, et honore invicem praeveniatis. Dilectio enim Fratrum praeceptum Domini est, et si hoc fiat, sufficit. Contentiones itaque et scissuras christiano nomine indignas penitus rejicere oportet.

Nec minor est fiducia nostra in iis, qui cooperatores ministerii nostri Parochi animarum curam et solicitudinem nobiscum habent, et quibus ex officio committitur gregem nostrum pascere, vel melius, qui in nobis est, gre-

Digitized by Google

gem Christi. Non enim, ut mercenarii solent, ad ipsos de ovibus non pertinere arbitrantur, sed omnem curam, et cogitationes suas eo fortassis dirigunt, ut Fideles doctrinis vanis, et peregrinis non adhaereant, novatorum in societate perturbationibus non abripiantur, tranquillitatem publicam, pacemque in familiis omnino servent. Ipsi vero Evangelium Christi proponentes, explanantes, et verbo et exemplo cum omni humilitate patientia et doctrina ministerium suum implentes efficient ut omnes ab usuris abstineant, thalamos non violent, ebrietates et blasphemias, fornicationes et cetera vitia detestentur. Nec minori studio curabunt, ut pauperes subleventur, rudes et pueri in Fidei mysteriis legisque praeceptis, et quae ad Sacramentorum participationem pertinent, instruantur. Quae omnia praestantes, clericos etiam, qui ad sacrum Presbyteratus ordinem promoveri cupiunt, disponere rite poterunt.

Et quoniam ad Clericos descendit oratio nostra, licet de Canonicis, de Parochis ceterisque Presbyteris pauca dicenda esse putavimus, tamen plura de vobis, et vobis ipsis, Juvenes clericali militiae addicti, et libentius dicere placet. Vos enim plus oculis nostris amabimus; vestrum in pagis, in oppidis, in civitatibus, et in seminario praesertim omnem curam, omnem solicitudinem habebimus; erga vos omnia studia, consilia, labores nostros dirigere statuimus. Expectate a nobis amorem, diligentiam, liberalitatem, quan-

tum vultis eximiam, expectationem vestram vincere nobis est animus. At non de omnibus et singulis loquimur; de illis verius, qui ingenio, indole, ac pietate a Deo vocatos esse probaverint; qui non ad sui et familiae sustentationem, sed ad Dei gloriam animarumque salutem Sanctuarium ingredi petunt; quique non beneficiis captandis sed propriae sanctificationis studio Clero nomen dare moribus, et vita demonstrabunt. Macti ergo virtute juvenes, satagite, ut per bona vestra opera primum electionem vestram a Deo factam esse probetis, deinde ut certam magis magisque faciatis; nam ut ad metam usque pervenire possitis, nos ipsi, non verbo tantum aut lingua, sed opere et veritate, quantum in nobis erit, quiquid conferat, praestare parati sumus. Quapropter Parochis, Vicariis nostris, ceterisque vel magistris, lectoribus, vel cujuscumque generis superioribus magnopere commendamus ut hujusmodi juvenes agnoscant, foveant, erigant, nobisque cognoscendos exhibeant, praesertim ex locis, quae sacerdotum penuria laborant, ne fides, eorum deficentia languescat, morumque corruptela latius pateat, ex qua maximum tum Ecclesiae, tum Societati, et Imperio detrimentum oriri solet.

De Virginibus Deo sacris non opus est plura congerere. De nonnullis enim monasteriis novimus, orationis et caelestis conversationis studio delectari et a vanis cum saecularibus colloquiis abhorrere: ex quo factum est, ut quae

Domini sunt cogitantes tum datam de Virginitate fidem inviolabiter servent, tum tranquillam penitusque beatam vitam facili negotio ducere possint. De caeteris, quod eodem religiosae perfectionis studio floreant, iisdemque bonis fruantur, in Domino speramus. Nos vero, cum hujusmodi sacrae Virgines gaudium nostrum sint et corona nostra, et flores Ecclesiae nuncupentur, ea omnia, Deo adjuvante, praestabimus, quae ad singularum, et cujuscumque monasterii, collegii, vel cujusvis generis domus utilitatem et splendorem conferre judicaverimus.

Alacritatem nostram plurimum auget quod sciamus in nostra civitate ac Dioecesi fere innumeras esse Religiosorum Ordinum familias, quae dum varietate propter earum pulchritudinem ornant, zelo veluti humeris domum Dei sustentant; nam Verbo Dei, et Sacramentorum administratione fidem nutriunt et pietatem. Quapropter sicut ipsi in nobis amicum et defensorem invenient, ita et nos in ipsis fideles coadjutores inveniamus oportet.

Quod attinet ad laicos viros vel auctoritate praesidentes, vel titulis et nobilitate generis praelucentes, vel divitiis abundantes, sicut nos tum reverentiae, tum honoris, tum dilectionis significationibus non defecturos promittimus, ita et ipsi non Pastorem modo, sed Patrem in nobis agnituros esse speramus adeo, ut unius familiae membra caritatis et obedientiae vinculo inter se et nobiscum con-

Digitized by Google


juncti proprio aliorumque bono quantum in ipsis est consulere velint. Sciant tamen, immo potius meminerint, pastoralis officii proprium esse pupillorum, et pauperum cujuscumque generis curam, ac defensionem, quam libenter suscipimus, et in qua omne studium, singularemque diligentiam adhibendam esse arbitramur, credentes quod uni ex istis minimis nos facimus, ipsi D. N. Jesu Christo penitus facturos. Omnes denique cujusvis sexus, conditionis, et aetatis oratione complectimur, omnes hortamur in Domino, tanquam filios per caritatem Dei cooptatos, propriis officiis contineri, quae sua sunt unicuique reddere, imo potius misericordes esse; Legibus et Principi ex conscientia obedire atque in primis Pietatem in Deum colere, nostras (ubi opus fuerit) obsecrationes, objurgationes, increpationes, a quibus abstinere cupimus, amplectentes. Nos enim, quiquid in nobis erit ingenii, quiquid facultatis, quidquid virium aut fortunarum id totum in Dei cultum, Ecclesiae decorem, et communem singulorumque utilitatem maxime pauperum collaturi sumus: etenim hoc nobis persuasum est, non pro nostra, sed pro aliorum utilitate et commodo in Episcopali sede constitui; nec tantam dignitatem ut praemium meritis, quae nulla esse plane sentimus, sed pro Fidelium bono collatam fuisse.

Quae dignitas eo major atque nobilior nobis videtur, quod in eam sedem invehimur; quae a B. Petro Aposto-

lorum Principe instituta est, in qua primus omnium S. Libertinus sedit ab ipso constitutus, et quam sanguine decoravit. Deinceps viri tum sanctitate, tum doctrina, tum utraque clarissimi, quos inter emicant S. Gregorius Episcopus hujus nominis primus, et S. Potamio; et praesertim S. Gregorius Secundus, qui Agrigentinam Ecclesiam non modo sanctissime rexit, sed illustravit. Illustravit etiam S. Hermogenes, et praecipue S. Gerlandus, qui cum Roberto, et Rogerio fuerit consanguineus, post restitutam ab ipso Rogerio Agrigentinam sedem, generis claritati sanctitatem eximiam in Episcopatu conjunxit, suisque cineribus Cathedralem Ecclesiam tutatur et ornat. Nec Beatum Matthaeum omittere possumus, qui si vivens in terris Episcopatum dimisit, in coelis regnans exempla virtutum nobis exhibet, et patrocinium. Quos omnes non modo veneramur, sed imitari cupimus; atque precamur, ut qui in Episcopatu gerendo nos praecesserunt, viamque tenendam praeclarissime demonstrant, nobis a Deo Optimo Maximo abundantius gratiae auxilia impetrent, accendente Beato Jacobo Christi Fratre et Apostolo, cui post B. V. Mariam Cathedralis Ecclesia dicata est. Vosque, Venerabiles Fratres, et Filii in Domino carissimi, ferventissimas preces adjungite, et ipsam B. Virginem nobiscum iuvocate, quam Matrem dulcissimam, atque amantissimam omni, quo possumus, religionis studio colere propitiamque reddere curabimus.

Primum autem a vobis obsecrationes fieri volumus, et hortamur, pro SSmo. D. N. GREGORIO PAPA XVI. qui cum virtutibus, et zelo Ecclesiam Dei aedificet et gubernet, vehementer optandum est, ut diutius vivat, et servetur incolumis. Deinde pro Augusto et pientissimo Rege nostro FERDINANDO II. qui non minus religioni tuendae totus est, quam regni, atque subditorum utilitati promovendae, et pro Ejus Conjuge Augusta MARIA THERESIA, totaque Familia ac regia prole, ut omnes cum ipso de rore caeli, et de pinguedine terrae benedictionibus impleantur. Et pro Emo. S. R. E. Cardinali Petro Ostini Albanensi Episcopo, et S. C. super negotiis Episcoporum, et Regularium Praefecto, qui nobis toto cordis affectu die 30 Junii Episcopalem consecrationem contulit. Et pro nobis indesinenter orate, qui Deo quotidie pro vobis incruentum sacrificium offerimus, ut Deus noster impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas, in gloria, in Christo Jesu, in quo pastoralem benedictionem omnibus vobis peramanter impertimur.

Datum ipsa die Consecrationis nostrae Commemorationi S. Pauli Apostoli sacra Domin. V. post Pentecosten extra Portam Caelimontanam.



NAG 2010 3427

Digitized by Google

IMPRIMATUR

F. Dom. Buttaoni Ord. Pr. Sac. Pal. Ap. Magist.



IMPRIMATUR

Joseph Canali Archiepisc. Colos. Vicesgerens.

Digitized by Google